



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Fundatio Ecclesiæ S. Mariæ de Rota.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

mus. Data Beneventi II. Non. Aprilis, Indictione decima.

Fundatio Ecclesie sancte Mariae de Rota.

DVM divina pietas quotidie nos admonet dicens, *Date eleemosynam. Et omnia munda sunt vobis. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* idcirco ego Raginaldus Roberti Burgundi filius pro Dei omnipotentis amore, & pro retributione animae meae, ut pius Dominus eripere me dignetur à perpetua morte, pro anima patris ac matris necnon & uxoris meae, quoddam boscum meum Credonensi castro proximum ad aedificandam ibi Ecclesiam beatæ & gloriosæ virginis Mariæ de jure meo in jus Canonorum sub beati Augustini regula in eadem Ecclesia degentium perpetuò transfundo ita solidum & à consuetudinibus omnibus exceptum qualiter à Fulcone Andegavensi Comite juniori solidum & quietum illud usque in præsentem diem tenui & teneo; ea siquidem conditione ut nullus alius ordo intra præfatam Ecclesiam aut in præsentem aut in futuro præter Canonorum canonicè illic habitantium admittatur. Ut autem hoc donum meum inviolabilem obtineat firmitatem, notum facio præsentibus & posteris meis hanc investitionem Andegavis factam esse supradictæ Ecclesiæ & ejusdem loci fratribus in camera & in domni Gaufridi Episcopi præsentia, vidente & concedente Mauricio & Henrico & Roberto filiis meis. Et ut hæc donatio rata & inviolabilis perpetuò subsistat, manu propria subscripsi. Data Andegavis III. Idus Febroarij, in crastino dedicationis basilicæ beati Nicolai.

In nomine Domini, ego Hugo Lugdunensis Archiepiscopus subscripsi.

Signum Raginaldi Credonensis.

Ego Gaufridus Andegavenſis Epiſcopus rogatus
conceſſi.

Signum Amati. Ego Amatus gratia Dei Burdega-
lenſis Archiepiſcopus & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ
Legatus laudo & confirmo.

Signum Ivonis Carnotenſis Epiſcopi.

Signum Hoelli ſanctæ Cenomanenſis Eccleſiæ
Epiſcopi.

Ego Gualterus gratia Dei Albanenſis Eccleſiæ
Epiſcopus ſubſcripſi.

Signum Guarneri Archidiaconi.

Conceſſit etiam Ragnaldus Credonenſis & Mau-
ritius filius ejus ſupradictæ Eccleſiæ & loci fratribus
quidquid de fevo ſuo in quocunq; loco ampliùs
emerint, ſeu quicquid eidem Eccleſiæ attribuetur de
rebus ad ſuum dominium pertinentibus, teſte Mat-
thæo Suhardi filio & Radulpho de Pochoneria homi-
nibus ſuis. Datum anno Domini M L X X X I I I.

Facta igitur hac conceſſione à Ragnaldo Credo-
nenſi, firmata eſt hæc charta in ſuperiori camera
Gaufridi Andegavenſis Epiſcopi junioris per impo-
ſitionem manus Urbani II. Papæ & per beati Petri
auctoritatem pridie Idus Febroarij in primo anno
ordinationis Gaufridi junioris Epiſcopi, in nono
ordinationis Urbani prædicti Papæ, ipſo Gaufrido
juniori Epiſcopo vidente & laudante, laudante Epiſ-
copo Signenſi, Teuthione, Alberto, Rangerio Car-
dinalibus videntibus & laudantibus. Affuerunt etiam
de Clericis Papæ, Emorrandus de Seiſſuns, Milo
ſancti Albini monachus. De Clericis Andegavenſis
Epiſcopi, Vvillhelmus de ſancto Laudo, Goffridus
Vvidonis filius. De Clericis in præfata Eccleſia ſub
regula degentibus, Robertus & Quintinus, & duo
Hervei, & alij duo.

Signum Aldeberti Primatis Bituricenſis.

○ iiij

Ego Vvido gratia Dei Viennensium Archiepiscopus subscripsi.

Ego Geraldus Morinorum Episcopus subscripsi.
Signum Renerij Canonici Malleonensis.

Ego Rangerius Cardinalis subscripsi.

Signum Fulconis Andegavensis Comitis.

His audientibus, Clarembaldo de Rupeforti, & Hieronymo fratre ejus, & Goffrido Fulcredo, & Hugone de Poceio.

Hæc secunda sanctio facta est Turonensi Concilio, Apostolico viro Missam devotissimè celebrante, XII. Kalendas Aprilis, luna existente XXII. anno MXCVI. incarnati verbi, Philippo Rege Francorum imperium tenente.

Signum magistri Mainegaudi.

Signum Guillelmi electi de Claromonte.

Signum Raginaldi Andegavensis junioris Episcopi.

Signum Radulphi Archiepiscopi Turonensis.

*ACTA CONCORDIÆ INITIÆ
inter Canonicos Ruthenenses & Monachos
Massilienses super Ecclesia sancti Amantij
& sepultura civium Ruthenensium.*

Ann. 1140.

SVper alteratione quæ inter Canonicos Ruthenenses & monachos Massilienses pro Ecclesia sancti Amantij & sepultura civium Ruthenensium jamdiu ventilata fuerat, hujusmodi concordia communi assensu utriusque partis intervenisse dinoscitur. In primis præfati monachi possidentes Ecclesiam beati Amantij, cujus Ecclesiæ possessio confirmata est & jam in præfati episcopali donatione facta communi assensu Clericorum Ruthenensium, ipsi quidem monachi debent persolvere pro eadem